

Resp.

Respondeo simile argumentum à nobis solutum esse in partitione de vacuo, vbi ostendimus non modò resistantiam interualli, sed ipsamet interuallum impedire, ne in vacuo fieret motus in instanti.

Obj. secūdi.

Objicit secundo: Post resurrectionem transeunt corpora beatorum à loco ad locum in instanti, etiam pertranseundo medium; ergo & id fieri potest diuinitus: consequentia patet, antecedens probatur; quia alioquin maius spatium temporis postulerent ad pertranseundum maius interuallum, quàm minus; quod tamen dicit esse contra expressam mentem D. Augustini in quæstionibus de resurrectione, vbi habet quòd corpus gloriosum vtraque interualla pari celeritate pertingat, sicut radius solis.

Resp.

Respondeo negando antecedens; & ad auctoritatem D. Augustini, super qua fundatur eius probatio, dico, sic eam intelligi, quòd maximà celeritate corpora beatorum mouebuntur, & pari, specificè loquendo, id est, quòd vnumquodque corpus habebit donum agilitatis: vt autem demonstret illam celeritatem Diuus Augustinus esse maximam, ponit exemplum in radijs solis, quorum transitus est velocissimus; imò instantaneus; non tamen comparatio cadit in instantaneitatem productionis illorum radiorum; sed, vt dixi, ponit exemplum in illis, vt summa agilitas inesse corporibus beatorum denotaretur. Deinde, esto caderet comparatio, etiam in instantaneitatem radiorum solis, attamen sic semper deberet intelligi, sicut radius solis educitur de potentia sui subiecti in vno instanti; ita corpus beati potest ab vno loco in locum vicinum in instanti transire; non tamen in locum remotum, nisi successiue transeat per medium. Imò retorqueo: sicut radius solis non posset transire ab vno subiecto ad aliud distans transeundo per medium, nisi successiue; ita nec corpus beati; sed deceptio prouenit ex eo, quòd imaginetur quis radium solis descendere ab ipso sole vsque ad nos in instanti; hoc enim falsum est, falsaque imaginatio, nam non descendit hoc modo radius, sed ad præsentiam solis educitur de potentia sui subiecti, in quo est, nullòque modo per motum localem mouetur.

## Partitio VII.

## De motu proiectorum, &amp; impulsu.

DE hac materia agunt præsertim Ruuius in sine 8. *Physic. tract. 7.* satis fusè, & Pendasius etiam in sine 8. *Physic. parte 1.* & sequentibus; sed quia ad sufficientiam clarè, & doctè de hac materia egit Ruuius; ideò succinctè procedam, initiumque ducam à diuisione motus in naturalem, & violentum.

Quid motus naturalis? quid violentus?

Naturalis est, qui prouenit à principio, quòd est in re ipsa, quæ mouetur, vt se habet motus lapidis deorsum; prouenit enim ille motus descensus à grauitate, quæ est in lapide. Motus violentus est, qui prouenit à principio aliquo extra mobile existente; sic motus lapidis sursum est ab homine proiectante lapidem, non verò ab aliqua re existente naturaliter in lapide. Deinde est motus mixtus, cuiusmodi est motus progres-

siuus animalis: sunt & aliæ variæ motus diuisiones, vt pote pulsio, tractio, vectio, & vertigo, seu circumuolutio; circa quas motus diuisiones nulla planè est difficultas, nisi circa pulsionem, seu projectionem; circa quam variæ solent examinari difficultates, quas proponemus; & resoluemus, vbi inquisierimus, cur motus naturalis sit velocior in fine, quàm in principio, & medio, & cur motus violentus sit velocior in medio, quàm in principio, aut in fine?

Quòd enim motus naturalis sit velocior in fine, experientia docet; guttæ enim cadunt continuè è tecto ad aliquod spatium: deinde verò, quo magis ad centrum approximant, eò maiorem patiuntur diuisionem, minorèque retinent continuitatem: illa autem diuisio, & minor continuitas à nullo alio potest prouenire, nisi à maiori impulsu, seu à velociori cursu motus. Item experimur, quòd maior ictus maiorem denotet velocitatem; sed còmpertum est experientià lapidem, quo ex altiori loco cadit, maiorem cauere ictum, & quòd maiorem causet in fine, quàm in medio, aut principio; ergo velocior est eius motus in fine, quàm in principio, aut in medio.

Huius autem rei causas varias afferunt; vnam affert Aristoteles & *Physicor.* quæ est hæc: quòd magis virtus alicuius agentis est confortata, eò est potentior; sed quò magis v. g. lapis approximatur ad suum centrum, eò magis confortatur virtus lapidis; ergo est potentior prope centrum, quàm elongata à centro. Maior patet, minor probatur; quia quòd est conseruatiuum alicuius rei, est etiam confortatiuum illius rei; sic enim dicunt Medici; quòd potiones, quas vocant cordiales, sint & conseruatiuæ, & confortatiuæ cordis: at terra est centrum lapidis, seu locus inferior, & per consequens conseruatiuus lapidis, proindeque confortatiuus; quò ergo magis accedit lapis ad locum inferiorem, eò maiorem habebit vim.

Esto, hæc ratio vera sit; magis tamen hanc naturalem semper existimaui: quæ sunt amica inter se, facile se alliciunt ad inuicem, & quò magis sunt propinqua, eò potentius sese attrahunt; sed locus inferior, & lapis sunt sibi valde amica, propter similitudinem qualitatis, nempe grauitatis, eoque facilius conueniunt, seque potentius attrahunt. Idem videmus in moralibus; nam duo homines eiusdem vrbis, aut nationis se mutuò reperientes in exteris regionibus faciliè conueniunt, seque magis diligunt, quàm si essent in natali loco: cum ergo locus inferior violentius attrahat lapidem, inde fit, vt motus sit velocior, quò magis approximatur mobile ad locum naturalem. Et quòd dicimus de motu lapidis deorsum, idem dic de motu ignis sursum, sicque de alijs.

Simplicius verò aliam reddit rationem; ait enim, quòd lapis v. g. in loco superiori positus induat leuitatis qualitates: at verò quando deicitur, seu decidit ex illo loco superiori, amittat qualitates leuitatis, quas in loco superiori contraxerat: denudatus verò lapis his qualitibus extraneis retinet solas qualitates grauitatis; & inde fit, vt grauius, & violentius feratur in fine, quàm in principio, & medio.

Nec

Nam 18.  
Cur motus naturalis sit velocior in fine, quàm in principio, & medio?